



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. V. Quærit cur in precibus & amissione rei caræ fletus sit dulcis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

STO S. AVR. AVGUST. CONFESS.

C A P. V.

*Querit cur in precibus & amissione rei cara
fletus dulcis sit.*

t. E T nunc Domine jam illa transierunt,
& tempore lenitum est vulnus meum.
Possumne audire abs te , qui veritas es : &
admoveare aurem cordis mei ori tuo , ut di-
cas mihi , cur fletus dulcis sit miseris ? Aut
tu , quamvis ubique adsis , longe abjecisti à
te miseriam nostram ? & tu in te manes,nos
autem ^a in experimentis volvimus ? Et ta-
men nisi ad aures tuas ploraremus , nihil re-
sidui de spe nostra fieret. b Vnde igitur sua-
vis fructus de amaritudine vitæ carpitur ge-
mere , & flere , & suspirare , & conqueri ? An
hoc ibi dulce est , quod speramus exaudire
te ? Recte istud in precibus , quia desiderium
perveniendi habent. Nunquid in dolore
amissæ rei , & luctu , quo tunc operiebar ?
Neque enim sperabam reviviscere illum , aut
hoc petebam lacrymis , sed tantum dolebam
& flebam ; miser enim eram , & amiseram
gaudium meum. An & fletus res amara est:
& præ fastidio rerum , quibus prius frueba-
mur , & tunc dum ab eis abhorremus , de-
lectat ?

N O T A E.

a In experimentis volvimus) Per experientiam rerum
causas & naturas investigare conamur , quas
Deus in sua sapientia cognoscit & ordinat , absq;
labore & errore , cui utriusque miseriæ , nostra
obnoxia est experientia. Hinc difficile est perve-
nire ad perfectam Sapientiam , imo & virtutem ,
cujus studium vel maxime persuadetur experi-
mento acerbitatis , qua asperguntur vicia.

b Vnde

L I B E R Q V A R T V S . III

b Vnde igitur suavis fructus) Cur fletus dulcis sit
miseris & aliquod solatium præbeat, ex ipsa tri-
stitia natura colligi potest. Nam sicut lætitia
cor dilatat, & hominem in risum solvit per mo-
tum diaphragmatis : ita tristitia cor & partes V. Suar. I.
oculis vicinas constringit, humoremque illis con- 5. de ani-
tentum in lachrymas eliquat. Quo motu , dum mac. 3. n.
cor angustias confluentis sanguinis à se repellere
nititur , qualemcunque voluptatem percipi-
mus , ei pruritui non absimilem , quem sen-
tiunt ulcerosi cum scalpuntur. In precibus vero
ad Deum magis dulcescere lachrymas, spe veniae
& impetrationis recte sentit S. D. Quod ipsum
forte contingit in dolore rei amissæ , dum phan-
tasia apprehendit quasi recuperabile, quod recu-
perari non potest : & amore prius quieta pos-
sessione velut languescentem, in jactura rei ama-
tæ, denuo exsuscitat & magis inflammat.

C A P . VI.

*Explicat miseriam inordinati affectus , quo
excruciat ob mortem illius amici.*

I. **O** Vid autem ista loquor ? Non enim
tempus quærendi nunc est, sed con-
fundi tibi. Miser eram, & miser est omnis
animus vincitus amicitia rerum mortalium;
& dilaniatur , cum eas amittit : & tunc sen-
tit miseriam, qua miser est, & antequam
amittat eas. Sic ego eram illo tempore , &
flebam amarissime , & requiescebam in
amaritudine. Ita miser eram , & habebam
cariorem illo amico meo , vitam ipsam mi-
seram. Nam quamvis eam mutare vellem,
nollem tamen amittere magis quam illum.
Et nescio , an vellem vel pro illo , sicut de
Oreste & Pylade traditur , si non fingitur;
qui vellent pro invicem vel simul mori, quia
mor-